51

Cardinalitia Quaestio agitanda In Scholis Medicorum die 10 Maii.

M. Guillelmo Robineau Moderatore.

Immutantia et vacuantia suntne febrium Remedia?

Febris partium similarium affectus calidus sedens in calore non vitali essentiam, in corde sedem habet propriam. alio cum affectu sive putredo contingat, sive quae phlegmonodes appellatur, vel hecticodes, semper tamen morbus est, numquam symptoma proprium. Causis tantum quinque; partim evidentibus, partim abditis generari potest, motu, putrefactione; arctiore caloris adhalitu, calidi effluvii suppressione, a rerum calidarum permixtione, si modo patientis corporis opportunitas et ad calorem impressum recipiendum subsit propensio. tum namque cordis sic inflammatur calor, ut ab ipso in corpus universum effusus, grandes variasque febrium inducat differentias: quas necesse est subiectorum diversitate, quam de motu vel qualitate caloris distribuuntur.

Aliarum omnium brevissima, in spirituosa cordis substantia accenditur diaria, quae vel simplex est, vel continua non putrida: in partibus vero solidis, pro triplici earum materiae vel divisa in partes hectica: in humoribus intra vasa putridis synochus et synochus quarum utraque triplex est: in ipsis denique per habitum corporis putrescentibus excitatur intermittens interpolata vel sub his complexa species. Hae autem neque ob caelestium influxum, neque humoris copiam, neque vim occultam cum multis humor ab aliis distinctas, quintanas, septimanas, et nonanas efficiat, sed propter humorum consistentiam et temperiem statis temporum circuitibus redeunt.

Blandus ephemeras calor et pestilentia, non mordax ut putridarum non in arteriis, quam in vicinis partibus, vel a pastu maior ut hecticas: frigoris, rigoris aut horroris ut intermittentium, typus, sive autem pulsus ut periodicas tertiana, magnus, velox, frequens, aequalis non ut quotidianas parvus et debilis, mollis est, non ut hecticas durus, non inaequalis ut exacerbationem habentium absque intolerantia putridarum aut quartanas horroris typum facientis. Inspiratio maior expiratione non contra ut in putridis: urina parum, aut nihil ut in pestilentiae ei quae sanorum est dissimilis non valde rufa et tenuis ut exquisitas tertianas, non alba crassa ut intermittentis: phlegmaticas non alba tenuis ut quartanas non cruda ut continuarum nec in ea quicquam innatat pingue ut in hectica in marasmodem desinente plerumque fieri solet.

Eorum quas faciunt in curatione indicationem causa praebebit ac febrium essentia: victus ergo ratione, aut modo quodam alio causam removendo: intemperiem moderate refrigerantibus et humectantibus extinguimus, ut aere tum circumstante, tum inspirato, ut cibis frequentibus paucis, euchymis concoctu facillimis, epithematis et communi ac propriarum materiarum eductione per vomitum sanguinis missionem, urinas sudores et pharmaca, quemadmodum aetas, consuetudo, tempus anni, anni qualitates, aliaque similia indicabunt. Solis autem immutantibus ut aere frigidiore, lotione frictionibus inunctionibus ex oleo rosato aut violato ante vel post balneum aquae dulcis perturbatur diaria simplex et hectica cui aqua permittitur ut vinum alterum: alterantibus autem in continentia non putridas et humoralium curatione ~~...~~ adiunguntur vacuantia.

Respuunt quae nullam habent affectionem putridas, ridemusque; plurimum synochus non putris, balneum, vinum, cibos plurimum nutrientes, sed victum quo sunt propinquiores statui tenuiorem incipiente [illegible] vigente aut declinante morbo sanguinis detractionem praemisso clystere humoris vitiati et concocti per accommodatum pharmacum evacuationem requirunt: periodicae vero in sola fere plethora venae sectionem admittunt, principio itaque si materia turgeat vacuare, si naturam ipsam gravat minuere: reliquam separatis in quartana et quotidiana incidentibus detergentibus et aperientibus in tertiana bilis fervorem mitigantibus praeparare. ac si natura satis non sit potens in biliosis rhabarbaro soluto: in pituitosis agarico, in atrabilariis aut sena aut epithymo vel aliis propriis noxium humorem per loca convenientia expellere symptomatibusque occurrere convenit.

Immutantia Igitur et vacuantia sunt febrium remedia.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Asserebat Lutetiae M. Joannes Faber Rhotomagensis. A. M.D.LXV.